



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 49. Articulus de casibus reservatis discussus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

§. XLIX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.*Articulus de casibus reservatis discussus.*

Circa articulum septimum *de casibus reservatis* Lovanienses Theologi obiciebant, quod a sanctis Patribus hac de re nulla fieret mentio, & Durandus, Gerso, ac Cajetanus dixerint, nullatenus peccata, sed censuras esse Romano Pontifici reservatas, ut proin nimiam saperet severitatem, si anathema in illos pronuntiaretur, qui adversam tenent sententiam. Præterea Archiepiscopi Coloniensis Theologi Lovaniensibus suffragantes demonstrabant, apud alios veteres Scriptores nihil haberi de reservandis, nisi publicis delictis; eamque reservandi rationem a laudato Parisiensi Cancellario improbatam fuisse, atque ab hæreticis dici illam ad aucupandas pecunias inventam, prout etiam in sua morum emendatione Campeggius affirmarat.

Hi iidem Theologi insuper de publica pœnitentia mentionem fieri postulabant, eo quod illam sancti Patres, ac præcipue D. Cyprianus, & S. Gregorius deprædicassent, eamque in pluribus epistolis tanquam necessariam proposuissent. His addebant, nisi circa hæreticos, ac peccatores publicos

Sæcul. XVI. „hujus pœnitentiæ usus restauretur,
 A.C 1551. „nunquam Germania in pace consiste-
 „re poterit. (*)

§. L.

*Capita, ac Canones ultima manu elabo-
 borati.*

Pallav. l. 12. Cum omnes hæ materiæ in variis Præ-
 c. 10. n. 28. fulum conventibus essent discussæ,
 generalis Congregatio ad diem quintam
 Novembris indicebatur, ut ibidem de-
 creta, & doctrinæ Canones accurate
 expensi, sine tamen anathemate refer-
 rentur, relicta licet cuivis facultate,
 ut desuper sua, si quæ occurrerent, du-
 bia proponere posset. Placuit hoc con-
 silium Tridentino Cardinali non minus,
 quam S. R. I. Electoribus, plurimis-
 que aliis Archiepiscopis: præprimis ve-
 ro Legatus, qui hac super re cetero-
 rum sententias rogabat, rem tandem
 decidi, nec ultra ad incudem revoca-
 ri gaudebat. Verum Granatensis Ar-
 chiepiscopus, cum ex ordine ipsi dicen-
 dum erat, vehementer huic opinioni ob-

(*) Rursus hæc omnia Paulus Sarpus pro
 more suo adinvenit, & Continuator potius
 huic Scriptori impio, quam Pallavicino vali-
 dis rationibus hæc commenta confutanti ad-
 hæreere voluit.